

In quo quidem non facilem laborem, inmo negocium plenum vigiliarum assumpsi; cum brevitati secundum datam formam ita studui, ut nichil de veritate historii detruncarem, sed ab Adam inchoans, per patriarchas, iudices, reges, prophetas et sacerdotes eis contemporaneos usque ad Christum, finem nostrum, ordinem perduxim.

In principio, hoc est in Filio, creavit Deus celum et terram . . . Gen. 1.

f. 41. Fugaverat¹⁾ comitem Lupoldum, qui in silva solus in thugurio latitabat; in hac silva dum cesar venaretur, dispersis suis post feras, nocte cogente, in dicto thugurio se recepit, cui hospita benigne ministravit, que eadem nocte filium peperit, et vox ad cesarem tercio facta est: 'Hic puer gener tuus erit'. Mane dum suos reperit, precepit duobus armigeris, cor illius pueri sibi afferri; quem matris gremio rapiunt et decori eius miserti, in arbore, ne a lupis rapiatur, deponunt. Cor leporis cesari portantes. Eo die dux quidam transiit, infantem reperit, uxori sue detulit, et dum heredem non haberent, fingunt hunc a se genitum, nutriunt delicate, vocavitque Heinricum. Huius anno 15. cesar cum duce convivat, ammirans formam pueri, sue curie assumpsit, sed tamen habuit suspectum, ne forte ille esset quem iusserat occidi. Litteras scribit et mandat per eundem uxori, ut visis presentibus perimatur. Dum solus iter pergeret, in domo cuiusdam sacerdotis hospitatur, fessus in scampno obdormivit. Sacerdos litteras eius legit, abradit et scribit: 'Visis presentibus, si vitam diligis, filiam nostram illi dabis'. Quod factum est. Audiens autem ista cesar, ira infremuit. Tandem videns ordinationi Dei non obstandum, a duce, duobus armigeris, sacerdote et matre veritate comperta, letanter eum generum et heredem instituit, et in loco ubi puer natus fuit fit nobile monasterium quod usque hodie Yrsania dicitur. . . .

2. Uebersetzung der Sächsischen Weltchronik.

Conradus [Conradus de Swevia imperavit et reedificavit²⁾ castrum in Chron. Sax. 14 an. Nurenberc et potenter abstulit Heinrico quidquid de imperio retinebat. Concedit^{a)} etiam ducatum Saxonie marchioni Alberto contra voluntatem Richee regine et contra ducem Heinricum. Hoc conquesta fuit regina omnibus amicis suis, qui pugnaverunt adversus marchionem. Tunc marchio vicit eos et multos cepit. Tunc rex Conradus habuit curiam suam in Gozlar et iterum marchioni contulit provinciam illam. Deinde dux Henricus venit Saxoniam et multos dominorum qui cum rege fuerant sibi attraxit; et pugnavit contra marchionem Albertum, qui resistere non potuit propter magnum adiutorium Richee regine. Tunc rex Conradus intravit Saxoniam cum exercitu magno et venit Cruceburg; ibi occurrit ei dux Henricus cum Saxonibus et volebant pugnasse, sed ab episcopis est interceptum. Duci Henrico venena^{b)} data sunt, et obiit. Tunc marchio Albertus volens Poloniam³⁾ intrare et ibi sedere iudicium quod dicitur bothding, quod Richee regina cum adiutorio iuvenis Henrici defendit. Eo tempore pugnavit contra regem c. 292.

a) 'Concedit' B. b) 'venena' B.

1) scil. Conradus rex. 2) Chron. Sax. sic: 'He besat de borch to Nureberch, dar de hertoghe Henric dat rike (i. e. insignia regalia) hadde behalden, unde wan it aldar'. Quod male intellexit interpres. 3) 'to den bolen' Chr. Sax., sed cum nostro 'zu Polen' codex 10.